

05

A

1754









545

DISPUTATIO PHYSICA  
*De*  
ACTIONIBUS  
MAGNETICIS,

*Quam*  
Sacrosanctâ & individuâ Triade benignè suc-  
currente

*In celeberrimo VVittebergensium Athenæo*

SUB PRÆSIDIO

*Viri Clarissimi & Excellentissimi*

Dn. M. JOHANNIS Sperlingen/

Phyl. in Electorali ad Albim Academia PP. Dn.

Præceptoris, Favitoris ac Promotoris mihi, quâ par est  
observantiâ, perpetim suscipiendi.

*καθ' ἑωσπυρὸν publicè defendet.*

SAMUEL CRAMERUS PANN:

In Aνεγαρνεῖω Majori Calend. Octob.  
horis matutinis.

---

Scalig.

*Ad qualitates manifestas omnia deducere, summa est impudentia.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTHII Acad. Typogr.

Anno M. DC. XXXVI.



DISPUTATIO PHYSICA  
ACTIOMIBUS  
MAGNETICIS.



1754 A 50

Dr. M. JOHANNIS  
Phys. in Halle  
SAMUEL CRAMERUS PANN.

WITTEBERG  
F. Original Typogr. Nur est. R. O. W. A. L. L. T. 1754







Σὺν Θίω πάλω.

PRÆLOQUIUM.



*T*una & simplex veritas, sic va-  
ria & multiplex falsitas est.  
Hoc si ullibi, certè in actionibus,  
ut vocant, Magneticis verissi-  
mum & evidentissimum esse  
speramus. Quot enim hic Do-

ctissimorum Virorum litigia? quot sententia-  
rum divortia? Sunt qui actiones illas in uni-  
versum damnant, & præter Elementa nihil sa-  
piunt. Contrà, alij omnes Elementorum vires  
negligunt, nihilq; magni præter magneticas  
illas actiones estimant. Amici à se digressu-  
ri, inquiunt, alter alterius sanguinis partem  
bauriat, & quamvis per longissima terrarum  
spatia abfuerint, tamen altero egrotante, al-  
ter etiam dolore ac mœrore afficietur. Ellych-  
nium artificio singulari paratum & accëssum,  
cum morborum, tum mortis ejus, cujus sanguis  
ad id adhibitus, ad loca etiam remotissima, cer-  
tissimum præbet indicium. Canes amore illius

A 2

tenentur

bono





tenentur quàm maximè, cujus sputum, aut cu-  
jus sub axillis panem aliquandiu habitum, su-  
doreq; madefactum, devorant. Cum vites  
florent, gemmasq; protrudunt, vina vetera in  
dolijs effervescent: Et cum ursi per byemem  
in latebris delitescentes pinguescant, pinguedo  
ursina in pixide aut thecà asservata augetur.  
Secundine cum malè tractantur, infinita in-  
fantibus pariunt damna. Hæc Et centena bu-  
jusmodi alia, non sanè (ajunt) qualitatum E-  
lementarium operâ, sed virtute Magneticâ fi-  
unt. Nos quamvis humana sapientia partem  
esse, quadam æquo nescire velle animo, pute-  
mus: tamen tentare quid, mediumq; tenere,  
conabimur. Hac nempe lege, ut non omnia E-  
lementis adscribamus, non omnia etiam ijs de-  
negemus; ut non omnes actiones Magne-  
ticas improbemus, non omnes etiam  
approbemus.

Dirige Tu linguam, Tu mentes dirige nostras;  
Usui ut hæc nobis, Tibi gloriæ ut omnia cedant.



Quod



549

# Quod felix & faustum

## DEUS esse jubeat.

### THESIS.

I.

Videndum ergò breviter 1. Quid nominis? 2. Quid rei?  
3. Cur sit?

II. Quoad nomen à Magnete magneticas dici actiones, facile videre est. Ratio dictionis ac denominationis in Virtuali, ut loquuntur, fundatur Contactu.

III. Inter agens scilicet & patiens necessarius est Contractus, qui duplex; Corporalis & Virtualis.

IV. Corporalis est unio duorum corporum juxta superficies cum mutua actione & passione. Sic ignis agit in lignum quod comburit, aqua in manum quam frigefacit, canis in hominem, quem mordet.

V. Virtualis est, cum non superficies, sed virtus, aut etiam effluvium unius corporis ad aliud pervenit. Sic superficies Solis non attingit superficiem nostrorum corporum, & tamen virtutem Solis experimur omnes.

VI. Imprimis verò Virtualis hic Contactus in Magnete occurrit. Miranda enim vi Magnes ferrum, quod corpore suo non tangit, attrahit. Ferrum scilicet, corpus grave, ad Magnetem velut accurrere, illi adistere, suaviq̃e complexu adherescere, & licet tabella lignea aut pelvis aenea interponatur, tamen imperio parere, motumq̃e capessere, non sine stupore spectamus.

VII. Nec hoc saltem magna Magnetis præstat virtus, sed & indicibili ac inscrutabili modo ad ipsos se convertit polos, nunc exactè lineam servans polarem, nunc varians ac devians. Mira ergò si fuit actio illa inter magnetem & ferrum, ob aliqualem distantiam, stupenda planè erit hæc inter magnetem & stellas polares. Tantum enim à se distant, quantum à terrâ cælum.

A 3

VIII. Hinc





VIII. Hinc ea nominis ratio ac denominatio, omnesque inde actiones in distans vocari sive Magnetica. Ab hoc polorum indice certissimo, navigiorum lumine clarissimo, nauclerorum solamine maximo, naturæ abyssu impetrabili, ipsiusque divinæ sapientiæ ac potentiæ opere inscrutabili.

IX. Quoad rem ergo actio magnetica est, quæ sine contactu corporeo per occulta quædam effluvia perficitur. Occulta dico effluvia. Verè enim ex hominum brutorumque corporibus multa per poros egrediuntur effluvia, quæ ut nonnunquam videntur, sic sæpissimè videri nequeunt: Verè è fumo, stagnis, lacubus & cadaveribus variæ assurgunt exhalationes, rarò sensiles, sæpius insensiles: Verè etiam arbores, metalla, lapides, ipsæ quoque stellæ aliquid emittunt, quo mediante mirandas operationes exercent.

X. Canes vestigia ferarum agnoscunt, prudenterque dignoscunt. Boves in loco in quo mactatus fuit bos consistunt, & non parum turbantur. Homines quidam ob feles etiam cistis inclusas lypothymiâ afficiuntur. Torpedo pisces corripit, & piscatoris manum etiam per arundinem stupefacit. Radix pæoniæ capiti apposita, vel collo suspensa epilepsia paroxysmòs eludit.

Lib. 32. c. 1.

XI. Quid violentius mari, ait Plinius, ventisve & turbibus, & procellis: Quo majore hominum ingenio (natura) in ullâ sui parte adjuncta est, quàm velis remisque? Addatur his & reciproci æstus inenarrabilis vis versumque totum mare influmen. Tamen omnia hæc pariter eodem modo impellentia unus ac parvus admodum pisciculus, echenéis appellatus, in se tenet. Ruant venti licet, & superveniant procellæ, imperat furori viresque tantas compescit, & cogit stare navigia. Hæc Plinius. Ut ergo motum in ferro excitat magnes, sic quietem in navi parit echenéis.

XII. Causa autem actionum harum summè obscura est,

VIII. Hinc



55  
est, quam si forsam quis dederit, non ut voluerit, sed ut va-  
luerit, veniam merebitur facilimè. Sunt qui *συμπάθεια* &  
*ἀντιπάθεια* pro causâ venditant: sed præter rem & *συμπά-*  
*θειας* ac *ἀντιπάθειας* rationem. Quamvis enim ob occul-  
tum amorem unum absque altero esse nequeat, & ob inna-  
tum odium unum alterum fugiat: tamen nec amor, nec odi-  
um actiones illas præstant, sed ad peculiare recurrendum est  
qualitates, quæ sua præsupponunt subjecta.

XIII. Id quod Clariss. & Experientiss. noster SEN-  
NERTIUS non saltem in Instit. in Tract. de Febr. in Conf.  
ac Dis. sed & Libr. V. Praxi Part. 4. c. 10. inculcat his verbis:  
Cum operari sequatur esse, ut inter agens & patiens quædam  
fiat conjunctio, & mutus contactus, necessarium est. Cum  
autem res, inter quas est actio, non omnes corporibus sese  
contingant, ut alio modo se contingant necesse est: qui du-  
plex est. Vel enim res, quæ ad distans agere dicitur, aliquid  
de suo corpore & substantiâ emitit, quod effluuium seu *ἀ-*  
*πόρροια* antiqui vocabant: Medici, ubi de contagio agunt,  
*μιασμα* appellant, ubi scilicet minutissimæ partes & atomi è  
corpore effluunt, & mediante vel aëre, vel alio corpore, ad  
aliud corpus transferuntur, idque vi, quam cum corpore in-  
tegro communem habent, afficiunt & c.

XIV. Et paulò post: Alia verò corpora, quæ in distans  
agere dicuntur, equidem nihil de suo corpore, quod ad aliud  
corpus transferatur, sed speciem saltem emittunt, quo modo  
per species sensibiles, lucem, sonum, odorem corpora etiam  
distantia afficiuntur. Et probabile est, plures esse ejusmodi  
species, quàm quot nostris sensibus percipiuntur. Atque  
id vulgò virtute vel virtuali contactu fieri dicitur.

Virtus tamen semper præsupponit substantiam, à  
quâ ea fluit. Sic extinctâ flammâ, cessat  
illuminatio &c.

Quæstio



## QUESTIONES.

*An actionum Magneticarum causa sit  
Elementorum varia mistio ac  
remistio?*

R. Hoc qui putant, quodlibet è quolibet fieri non posse, haud attendunt. In simplicibus quod non fuit, in compositis esse nequit. Nihil enim novi hic præter unionem, quæ non novas qualitates parit, sed priores turbat ac in operationibus suis impedit. Indicibilis illis ista est mistio, è quâ tales emergât qualitates: at indicibilis nobis illorum est pertinacia, qui veritatem vident, sed ne quid nescivisse putentur, videre nolunt. Rectè Scaliger ait: Illud tibi subtilitates persequenti contemplandum fuit: candidissimos dentes sub extremi caloris cælo, extremiq; frigoris æquè inveniri. Ut jam hoc claudat os Philosophis materiarijs, qui omnia Elementorum mistione metuntur.

Exerc. 218.  
Sect. 5.

## QUESTIO II.

*Cur bos ob lanionis præsentiam trepidet,  
fugamq; meditetur?*

R. Non sanè ab accidente aliquo à subjecto suo separatoid fit, sed ab effluvijs in lanionis vestibus hærentibus. E corpore enim ac sanguine madati bovis effluvia exeunt, & vestes, manus, totumque lanionis corpus inficiunt, quæ bos odoratur, & quod sui generis sint, accuratè observat. Hinc illa antipathia inter bovem & lanionem. simile quid etiam inter canes & canidas deprehendimus. Canes enim ad adspectum horum ingenti percelluntur, horrore ipsamque spontè fermè præ metu evomunt animam.

## QUESTIO III.

*An cadaver hominis occisi ad homicidæ præ-  
sentiam etiam post menses & annos  
aliquot sanguinem stillet?*

Affirma.



Affirmativa in multorum ore & corde est, quam & experientis & rationibus muniunt. Experimenta vel mille proferunt, singulique singula renarrant. Rationem dant hanc. E sanguine occidendi spiritus vindictæ ergò in corpus occisoris transfilit. Cum ergò homicida cadaver accedit, intuetur ac tangit, quicquid de spiritibus adhuc reliquum est, id cum vehiculo suo, sanguine scilicet, in occursum spiritui in corpore occisoris adhuc hærenti ob sympathiam se proripit. Verùm experientia fallax, & ratio nulla est. Nec enim semper ad præsentiam homicidæ cadaver sanguinem stillat: nec quoties cum stillat, toties homicida adstat. Alia enim longè subest ratio. In venis nempe cadaveris nonnunquam sanguis aliquot dies & septimanas reservatur, leviq̃ue commotione ad corporis habitum ruit, ac per nares aliasq̃ue vias patentes, sive adsit, sive absit homicida, elabitur. De spiritu ob sympathiam prorumpente quod dicitur, ineptum est.

QUÆSTIO IV.

*An unguentum armariam vi magneticâ sanet vulnera?*

R. Unguentum hoc cur ita dicatur, facilè patet. Scilicet non ipsi vulnere, sed armistelisq̃ue quibus vulnus inflictum est, vel ligno in vulnere cruento madefacto, applicatur, sicq̃ue vulnus coire, & vulneratus per aliquot etiam miliaria absens, rei q̃ue hujus inscius curari putatur. Spiritum enim unà cum sanguine egredi, & telo ac ligno adhærere, indeq̃ue adhibitis adhibendis pelli ac ad suum corpus redire idq̃ue redintegrare censent. Verùm cum nec contactum Corporalem, nec Virtualem hîc deprehendamus, unguentum hoc rejicimus. Corporalem non adesse conceditur ultrò. Virtualis quod non adsit, rerum plurimarum interjectione, spirituum in telo hærentium inopiâ, & ipsius redintegrationis impossibilitate, probatur. Hinc Clariss. & Experientiss. SENNERTUS loco suprâ citato ait: Quis ergò credat, è paxillo unguento & sanguinis

B

a-





sanguinis tantillo, corpuscula tot vel species per cistam, inquam telum inunctum conclusum est, perrumpere, per longum intervallum, etiam duodecim milliarium, deferri, montes & muros penetrare, & ad cubiculo inclusum vulneratum rectà tendere, & multiplices, quibus vulnus involutum est, fascias pervadere, ac vulneri sese insinuare.

*Tantum.*

---

## COROLLARIUM.

### CASUS.

**N**obilis Neapolitanus Anno Christi 1576. in duello naso truncatus est. Hinc ut ex brachio sibi repararet suum induxit animum. Cumque delicatus esset, proprium sibi disseccari brachium noluit, sed mercede servum conduxit. Hic Nobili se alligari, brachiumque secari, spe lucri passus est. Processit cura, nasumque recepit Nobilis, mercedem cum brachio suo servus. Ast accidit post triennium, ut ægrotare inciperet servus, ac simul dolorem in naso percepit Nobilis. Tandem



dem suūm planè servus obijt diem, quo  
facto nasus Nobilis unà computruit, ac  
putrefactus decidit. Fermè juxta ver-  
sum:

*Et redit ad Dominum, quod fuit antè suum.*

Decisio

*reservatur ad disputationis actum.*

*Δόξα Θεῷ μόνῳ καὶ παντοκρατορικῇ δόξα μεγαλίστη.*



Ad Doctissimum

Dn. Respondentem..

**I**ngenti CRAMERE trahit tua pectora amore  
Magenes, qui mirè fortia ferra trahit.

Næ benè! Nam quem non moveat mirabile  
factum?

Quem non attrahat hoc Cunctitrabentis  
opus?

Sympatbicum nexum pergas inquirere, Et au-  
tor

Ipsereit ante te quoq; amore trahet.

M. Johan. Sperling/  
Phyl. Prof. P.

Ad



Ad eundem.

**E**T te fatigat abditus  
Mundi labor, præcordia

Dum Sacra naturæ sapis

Myſtes ſecundo numine

E' ponte docto doctior

(Quæſita cæca) ſolvere:

Felix adhuc, felicior

Æternitati conſecras

Nomen tuum ſacerrimæ,

Ejusque dignus præmio

Id poſtulas in tempore

Quod corde teſtor integro.

*Georgius Poch  
Sempron Hung.*

**FINIS.**



BA



05 A 1754

**ULB Halle** 3  
003 785 912  



1010











DISPUTATIO PHYSICA  
*De*  
**ACTIONIBUS**  
MAGNETICIS,

*Quam*  
Sacrosanctâ & individuâ Triade benignè suc-  
currente

*In celeberrimo Wittebergensium Athenæo*

SUB PRÆSIDIO

*Viri Clarissimi & Excellentissimi*

**Dn. M. JOHANNIS Sperlingen/**

Phyl. in Electorali ad Albim Academiâ P.P. Dn.

Præceptoris, Favitoris ac Promotoris mihi, quâ par est  
observantiâ, perpetim suspiciendi.

*ead' dñâqum publicè defendet.*

**SAMUEL CRAMERUS PANN:**

In *Ανεγατηρίω* Majori Calend. Octob.  
horis matutinis.

Scalig.

*Ad qualitates manifestas omnia deducere, summa est impudentia.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTHII Acad. Typogr.

Anno M. DC. XXXVI.